Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26328
Copyright: Admont, Benediktinerstift

peccata natalium in captiuitate et interitu. Unde uno loco paulus
apostolus utrumque commemorans et iram dei cum qua nascimur et gratiam qua li
beramur. Et nos inquit aliquando conuersati sumus in desideriis carnis
nostre facientes uoluntatem carnis et affectionum et eramus natura
filii ire sicut et ceteri. Deus autem qui diues est in misericordia propter multam dilec
tionem qua dilexit nos cum essemus mortui peccatis conuiuificauit nos
christo cuius gratia sumus salui facti. Quid est quod maliciam natalis hominis
et semen maledictum abicio, peccati natalium in captiuitate et
interitu. et natura filii ire. Numquid in adam natura ista sic edita est?
Absit. Sed quia in illo uiciata sic postea iam natalium cucurrit et currit.
ut ab hac perditione non liberetur nisi gratia dei per iesum christum dominum nostrum. Quid est quod
contra istos adiungis. et dicis de noe et filiis eius quod similiter benedicti
sunt ut adam et eua. dicente deo. crescite et multiplicamini
et replete terram et dominamini eius. Quibus deus uerbis addidit et sua
hec: dicis. Voluptas quae ista quam tu diabolicam uis uideri iam in supradictis
coniugibus habebatur quae ut institutione bona ita et benedictione
permansit. Non ergo dubitatur de hac ad noe et filios eius corporum com
mixtione dictum. cui iam usus inoleuerat. crescite et multi
dve plicamini et replete terram. Non opus est eadem multis uerbis repe
tere. De uicio hic agitur quo est deprauata natura bona. cuius uicii
est auctor diabolus. non de nature ipsius bonitate cuius auctor est
deus. qui neque ab ipsa uiciata deprauataque natura suam abstinuit
bonitatem. ut auferret hominibus fecunditatem. uiuacitatem.
sanitatem ipsamque substantiam animi et corporis. sensus atque
rationem. alimenta. nutrimenta. incrementa. qui et facit oriri solem
suum super bonos et malos. et pluit super iustos et iniustos. et
quicquid est boni nature humane a deo bono est et illis hominibus qui
non liberabuntur a malo. Voluptatem tamen iste et hic dixit.
que potest uoluptas et honesta esse non dixit carnis concupiscen
tiam uel libidinem que pudenda est. Sed in consequentibus aperuit uere